

loco tamen decenti, si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

25. Induendi se vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa vel in eis permanere non poterunt.

26. Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

27. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carniū, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et quadragesimæ.

28. Prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ requirunt ordinem episcopalem, vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis qui in eorum diocesibus laborabunt, et præsertim tempore sui obitus, ut, sede vacante, sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit, per delegatos vel per unum ex iis alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate apostolica facultas conceditur, sede vacante, et in casu necessitatis, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia sacris oleis ab episcopo tamen benedictis.

29. Et prædictæ facultates gratis et sine ulla mercede exercentur et ad decennium tantum concessæ intelligantur, nec illis uti possit extra fines suæ diocesis.

30. Facultates extraordinariæ formulæ T episcopis canadensibus concessæ.

1º Dispensandi cum quindecim utriusque cleri diaconis suæ jurisdictioni subjectis super defectu ætatis octodecim mensium, ut, eo non obstaute, ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint et nullum aliud eis obstet canonicum impedimentum.

2º Promovendi ad sacros ordines titulo missionis clericos